



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Sect. 3. Ex Plebeis etiam nonnulli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

Timo in vita Sancti Auxibii, Sanctus Galation cum Sancta Episteme Coniuge, nobilitatis, virginitatis, sanctitatis, & martyrii consorte apud Baronium. Finiamus cum Sancta Melania juniore ex Actis Melanie junioris apud Metaphrastem 31. Januarii & Surium tom. 1. Sanctus Vandregesilus Comes Palatinus sub Dagoberto Rege apud Baronium. Aprus cum coniuge sua apud S. Paulinum epist. 3. ad ipsum. Sancta Berthia cum Beato Guthlando ex nobilissima Francorum prosapia oriundi apud Molanum in natalibus Sanctorum Belgii 3. Januarii. Sanctus Mathurianus & Maxima uxor eius apud Victorem lib. 1. de Persecur. Vandalica. Sed ex his fati ad intentum nostrum.

SECTIO III.

Ex Plebeis etiam nonnulli.

XLVI. **N**equē hos Deus licet grossiores ad hanc gloriam Deus ineptos iudicavit: Nam præter Zachariam Calceatium cum Maria uxore sua in Menologio Græcorum: Evaristum opilionem item cum Maria: Sanctum Ammonium, qui post mortem uxoris factus est Anachoreta apud Palladium in Histor. Lausiacâ cap. 8. de quo S. Athanasius in vita Sancti Anthoni Abbatis, Cassianus collat. 14. cap. 7. meminit cuiusdam Rustici qui ferocissimum dæmonem, quem Sanctus Joannes Abbas de corpore obsessio precibus expellere non potuerat, ita sua præsentia perterruit, ut cum reverentissimâ ad nomen illius inclinatione discesserit, quod admirans Sanctus Joannes cepit ab eo vitæ & professionis rationem disquirere; à quo reverentiâ tam sollicitæ inquisitionis adstrictus, tandem didicit uxorem se parentum imperio compulsam, cum Monachum profiteri vellet, ante annos undecim accepisse, eamque nemine etiam nunc conscio, Sororis loco à se virginem custodiri. Quod cum audisset Sanctus Senex, tantâ est admiratione permotus, ut coram ipse publicè proclamaret, non immeritò dæmonem, qui se despexerat, illius non tolerasse præsentiam, cujus ipse virtu-

tem non solum in Juventutis ardore, sed ne nunc quidem sine discrimine castitatis auderet appetere.

Cum ergo horum non esset finis, XLVII. nos ipsi faciamus per illud memorabile, quod legimus apud D. Gregorium Turonensem de Gloria Confess. cap. 32. ubi sic ille: Duos fuisse apud Arvernum virum scilicet & puellam refert Antiquitas, qui conjuncti conjugio, non coitu, & in uno stratu quiescentes, non sunt ab alterutro polluti in voluptate carnali: Post multos verò annos cum eis esset latenter vita castissima, ex consensu pari vir tonsuratur ad Clericatum, puella verò Religiosum induit vestimentum: factum est autem, ut impletis diebus, puella migraret à sæculo: denique vir ejus præparatâ sepulturâ exhibuit corpusculum ad sepeliendum: Cumque eam in sepulchro reconderet, arcanum quod inter eos convenerat, elevatis manibus ad cælum pandit dicens. Gratias tibi rerum omnium Artifex, quod sicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omni voluptatis cõtagio impolutam: at illa è sepulchro subridens, ait, sile, sile Vir Dei, quia non est necesse fatearis nostrum nemine interrogante secretum. Post hæc obteçtâ ðpertorio recessit. Non post multum verò tempus & ipse migravit à sæculo, sepultusque est in loco suo. Erat autem in una quadam Basilica, sed è diversis parietibus utrumque sepulchrum habebatur, & unum quidem ad Meridiem, alterum ad Aquilonem: mane autem factò inventa sunt pariter esse sepulchra, quæ usque hodie sic perdurant. Idcirco nunc Incolæ duos Amantes vocitant, & summo honore venerantur. Ita Divus Gregorius Turonensis.

SECTIO IV.

Illis eos succenturiamus qui post aliquem matrimonii usum, reliquum vitæ pudicitia destinarunt.

Cum & hi, quos à gustatâ aliquam- XLVIII
diu in matrimonio carnis voluptate
Ec 3

no pstr
gnabit
D.
Septi
SV
an